
LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 295 5

P. 69. 12

HERMESIANACTIS ELEGIA,

QUAE

AMATORUM ENUMERATIO

INSCRIBITUR,

E GRAECO IN CARMEN LATINUM CONVERSA.

PRAEMISSA SUNT

IN HERMESIANACTEM ADVERSARIA.

SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

A. D. III. KALENDAS JUNIAS, HORA LOCOQUE SOLITO,

PUBLICE DEPENDERE CONABITUR

ALBERTUS T. LYSANDER, PH. M.,

LINGUAE ET LITTERARUM LATINARUM DOCENS.

PARS PRIMA.

RESPONDENTIS PARTES AGET

HENR. AUG. BERLIN,

BLEKINGUS.



LONDINII GOTHORUM.

EX TYPOGRAPHEO BERLINGIANO.

cIↃIↃcccIL.

In Hermesianactem

ADVERSARIA.

I.

Poeta noster secernendus est ab alio Hermesianacte Colophonio, qui Nicandri tempore floruit ([1]). Poetae autem elegiaci aetas incidit in Ptolemaei, Lagi filii, et Ptolemaei Philadelphi tempora. Duobus praeter illos scriptoribus nomen fuit Hermesianactis: quorum unus, a Cypro oriundus, res Phrygias enarravit ([2]); alter Naxius appellatus est ([3]).

II.

Natus est Colophone ([4]), maximorum illa poetarum patria ([5]). Qua in urbe etiam habitavit, ut ex versu LXXII colligere licet.

III.

Pausanias in Graeciae descriptione (vi, 17, §. 3.) Hermesianactem nescio quem laudat Colophonium, Agonei filium, qui in ludis Olympicis puerorum pugilatu vicit, ita ut ipsi a Colophoniorum re publica Olympiae signum poneretur. Quem cum *G. J. Vossius* ([6]) statuerit a poeta non fuisse diversum, recte negant *Ruhnkenius* et *Smithius* ([7]).

([1]) Vid Scholiastam ad *Nicandri Theriac.* vers. 3.

([2]) *Plutarchi de Fluviis*, xii, 4. Cfr. ii, 3. xxiv, 1.

([3]) *Photii Biblioth.* ex rec. Imm. Bekkeri. *Berolini*, 1824. p. 446.

([4]) Scholiastes Nicandri l. c. *Athenaei Deipnosoph.* xiii, p. 597. *Pausaniae Graeciae descript.* i, 9, §. 8.

([5]) Hi vero fuerunt Xenophanes, Polymnestus, Minnermus, Antimachus, Phoenix, Hermesianax, Nicander. Homerum quoque suum Colophonii vindicabant.

([6]) Opera omnia. *Amstelodami*, 1695–1701. Vol. ii, p. 176.

([7]) Vid. dissert. quae inscribitur Hermesianax in *Dictionary of Greek and Rom. Biography. London* 1844–1849.

IV.

Aliam Hermesianactis, aliam Epicuri esse *Leontium* pro certo habemus. Ne probari quidem potest interpretum fere communis sententia, amicam Hermesianactis Graecis litteris fuisse eruditam.

V.

Hermesianax una cum Theocrito aliisque poetis et grammaticis illustribus habendus est discipulus Philetae. Cujus quidem exemplum sequutus, carmina composuit elegiaca, quae, de amicae nomine *ΛΕΟΝΤΙΟΝ* inscripta, in tres libros distribuit. *Ἀπὸ γὰρ ταύτης (Λεοντίου)*, ut ait Athenaeus (xiii, p. 597 A.), *ἐρωμένης αὐτῷ γενομένης, ἔγραψεν ἐλεγειακὰ τρία βιβλία.* Ita etiam Propertius librum primum elegiarum *Cynthiam* inscripsit.

VI.

Quod Pausanias (l. c. vii, 18, §. 1.) memoravit *ἐλεγεῖον εἰς Εὐρυτίωνα Κένταυρον, ὑπὸ Ἑρμησιάνακτος πεποιημένον,* ad locum quendam Leontii carminis referendum est.

VII.

Denique Hermesianax *Persica* (*τὰ Περσικά*) scripsit, historici, ut videtur, argumenti ([8]). Ex quibus narratio de Nanide apud Parthenium (Erotic. cap. 22.) est depromta.

VIII.

Leontii carminis trium librorum paucae supersunt reliquiae. Ex libro tertio octo et nonaginta versus servavit Athenaeus (l. c.). Reliquae partes minus insignes.

IX.

Hermesianactis elegiam, Athenaeum sequuti, enumerationem amatorum (*κατάλογον ἐρωτικῶν*) inscripsimus. Minus recte a *Fulvio Ursino* ([9]) Elegia in Orpheum est appellata. Non enim Orphei modo, sed omnium etiam poetarum, philosophorum, sophistarum amores hoc carmine poeta celebravit.

([8]) Scholiastes Nicandri, l. c.

([9]) Annotat. ad *Virgilii Georg.* iv, 470. Vid. Virgilius, collatione scriptor. Graec. illustratus, opera et industria Fulvii Ursini. *Leovardiae,* 1747.

X.

Poesis Hermesianactis, si formam spectemus, elegiaca est. Quam quidem formam Veteres judicaverunt aptissimam et quasi natam ad amorem celebrandum. Quamvis autem disticha Hermesianactis elegiae amatoriae habeantur, finitima tamen sunt illi poesis generi, quod Graeci vocant *ἐπιγραμματικόν;* id quod vidit *Fridericus Schlegelius* (Operum iv, p. 54). Rectissime *Schneidewinus,* v. cl., singula disjunxit epigrammata, quibus nos denique ausi sumus inscriptiones addere.

XI.

De oratione Hermesianactis sic statuo, nullum carmen, nisi forte Lycophronis *Alexandram,* quod obscurius molestiusque sit, ex tota antiquitate ad nos pervenisse. Non enim abstinet poeta a formis, quae alibi reperiri non possunt. Generibus verborum promiscue utitur et in numeris adhibendis errat. Ea, quae proprie dici poterant, circuitu aliquanto longiori enunciavit. Alia ex antiquissimis scriptoribus, alia ex vulgari aequalium sermone videntur profecta. Facile credas, istam elegiam compositam esse ab homine, artis grammaticae rhetoricaeque ignaro.

XII.

Metrica quoque negligentia laborat. Exemplum praebet versus LI, ubi penultima sub ictu versus producitur.

XIII.

In versu IL Hermesianax lusit verbo *ἀηδών.* Proprie enim valet idem quod *ἡ ἀοιδός;* sed jam ab Homero lusciniam ita appellatam esse constat ([10]). Huic autem verbo Hermesianax duas res subjecit, lusciniam vatibus amicam, Sapphonem cantus lusciniarum aemulam. Nos quidem verbum Latinum par Graeco frustra quaesivimus. Nullum inveniri potest, quod idem declaret Latine, quod Graece.

XIV.

Frequentissime in Hermesianacte occurrunt versus, qui dicuntur *Leonini* (vs. 3, 6, 8, 14, 18, 20, 21, 22, 24, 28, 30, 33, 34, 36, 41, 42, 47, 55, 58, 62, 64, 65, 68, 74, 80, 82, 84, 92, 97.).

([10]) Vid. *Odyss.* xix, 518.

XV.

At tamen Hermesianax non minus, quam Lycophron, bonus germanusque poeta est judicandus. Est enim dicendi quoddam genus (Galli appellant *amphigourique*), quod, licet omnes in eo insignitae poesis notae appareant, intelligentiae nostrae vim et notionem quodam modo fugere videatur. Quo in genere constat et Lycophronem et Hermesianactem nostrum excelluisse.

XVI.

Dum Graecia et orationis et poesis laude floruit, id quidem nemini Graecorum video contigisse, ut in illo obscuro eodemque gravissimo dicendi genere elaboraret. Ut enim Graecia serenitate coeli tempestatisque fuit insignis, ita, quicquid Graeci veteres sint loquuti, clarum atque apertum ad intelligendum agnosces. Bacchis tantummodo Pythiaeque concessum erat, ut furerent et tortuosa darent oracula. Venere autem tempora, cum illud dicendi genus Graecis mirifice placeret. Tum vero ea contexuere carmina, quorum sententiam ne ipsi quidem satis certo perspicerent, sed obscuro quodam sensu suspicarentur. — Quod si verum est Apollinem poetas agitare, sequamur, necesse est, Ciceronem (de nat. Deor. iii, 23), qui plures esse Apollines enunciat. Quorum quidem unus, cui *Phoebus* a limpido splendidoque cognomen (11), Homericos illos versus fundebat. Alter autem, quem propter obliqua et tortuosa responsa Graeci *Loxīam* appellaverunt, Lycophroni et Hermesianacti carmina videtur subjecisse.

XVII.

Hoc vero Lycophroni est cum Hermesianacte commune, quod dei cujusdam praesentia fretus ad poesin uterque accessit. Ille quidem Apollinis, hic Amoris mysteria carminibus celebrat. Uterque sublimitate sua incitatus, ita furit et quasi deo incalescit, ut totus orationis habitus quam proxime accedat ad verba mulieris *φοιβολήπτου* et divino quodam oestro, Bacchae in modum, percitae. Uterque denique, poetica contentus facultate, grammaticorum rhetorumque praecepta contemsit.

XVIII.

Quibus rebus factum est, ut alii Hermesianactem vituperaverint, alii eum summis lau-

(11) Vid. *Macrobii Saturnal.* i, 17.

dibus extulerint. In his vero *Ruhnkenius*. Neque est, quod miremur, eos poetices magistros, qui *Phosphoristae* appellati sunt, de Hermesianacte magnifice sensisse. Eorum certe coryphaeus, *Hammarskoeldius*, Hermesianactem singulari libro est interpretatus ([12]).

XIX.

Hermesianax, dum omnia ad amorem refert, res historicas identidem neglexit. Id quod in poeta minime debemus reprehendere.

XX.

Fieri non potest in accurata Hermesianactis interpretatione, ut rationem etiam serves poesis. Mihi quidem, cum in animo esset verbum pro verbo reddere, accidit illud Virgilianum:

——————— Cynthius aurem
Vellit et admonuit. ———————
(Eclog. vi, 3—4.)

Friget enim interpretatio, in qua ne minime quidem spirat poetae mens. Quod quidem evenit *Nicolao Bachio*, V. Cl., qui, accuratam sectans interpretationem, voti compos non factus est, immo leges metricas violavit. Exempla lubet colligere. Quod autem non ago, ut laureolam in mustaceo quaeram; sed vel doctissimorum scriptorum errores silentio non praetereundos censeo. Hujusmodi igitur versus in interpretatione Bachiana leguntur:

Pallidam u|bi in cim|bam || cōllĭgīt|nauta Cha|ron.
Magnam|quae Cere|alem ad E|leūsīnă|sustulit|almis.
Eni|ti cu|ras || sŏlĕt ē|mente le|ves.
Carminum et| auspicium|ab || virgine|sŭā că|pit.
Nimi|rum ca|nūs vĕl|ille The|ōrĭdīs|formam.
——————— || mīsīt Jŏ|vis Sopho|cli.
Ipsă|que ars mise|re rati|ōnĭbūs|strinxit a|cerbis.
Pĕtēns|Aspasi|am ———————
Prāe cētĕ|ris sapi|ens || Socratis | *ingeni|um.*
Ira|tus tamen | haec || carmina|*cĕcĭnĕ|rat.*

In his duobus exitus quoque offendit. Ejusdem generis sunt:

Orpheus et divos permovet *omnigenos.*
Dulces et teneri flamina *pentametri.*

([12]) Hermesianactis fragm. suethice redditum. *Upsaliae,* 1813.

Irasque a teneris ceperat *unguiculis.*
Moenia quo plausu venerit *attonitus.*
Pythagoram, spirae flexa *geometricae.*
In sphaera totum finxerat *exigua.*
Tantum crudelem Laida *deperiit.*
Acriter explicuit cunctaque *colloquia.*

Omnia vitia enumerare molestum est. — *Hammarskoeldii* vero liber ita scriptus est, ut sit elegia Hermesianactis obscurior. Pauca errata ostendisse sufficiet. Graecum illud *λαύραι* (vers. 65.) Sueco vocabulo lagrar est interpretatus, deceptus, credo, similitudine quadam, quae voci Graecae est cum Latina *lauri.* Eadem vocum similitudine adductus *νῆσον* (vers. 31.) Suethice reddidit näfet. — Praetera superiores Hermesianactis interpretes eo usi sunt textu, qui pravis lectionibus redundet. Quae cum ita sint, Hermesianacti opus esse videtur novo interprete.

XXI.

Nemo fere scriptorum antiquorum ad nos pervenit Hermesianacte corruptior. Neque vero ulla est elegia, immo carmen, in quo emendando tot tantique critici aut magis aut felicius elaboraverint. In his sane reliquiis ars critica, quid efficere possit, videtur experta. Duo autem sunt conjecturarum genera. Unum genus est, quod, molestae eruditionis copia refertum, speciem probabilitatis gerit, legentium tamen perfectam approbationem nullo modo potest movere. Alterum autem, cui opus non est circuitione et anfractu, tantam habet a primo aspectu commendationem, ut mentes hominum ad se alliciat atque attrahat. Contigit vero interpretibus Hermesianactis, , jam inde a *Lennepio* usque ad *Cobetium,* ut conjecturas facerent praestantissimas. Quibus conjicientibus, poeta divinus, interpretis corpore inclusus, loquitur. Neque enim arte nec scientia, sed diviva quadam praesentia, ac sorte, haec praeclara efficere potuerunt. In illos igitur potissimum licet accommodari dictum Ciceronis (de Divinat. i, 18, §. 34): *poetarum interpretes proxime ad eorum, quos interpretentur, divinitatem accedere.*

INDEX SCRIPTORUM,

quorum emendationes ad hanc textus recognitionem adhibuimus (13).

Vs. 2. *Θρῇσσα κιθάρῃ.* Ruhnkenius (14), Heinrichius (15).

Vs. 3. *ἀπευθέα.* Hermannus (16).

Vs. 4. *κοινήν.* Lennepius (17), Valckenarius (18), Ruhnkenius Dindorfius, Heinrichius.

Vs. 5—6. *λίμνης χεῦμα ῥυομένης.* Ruhnkenius.

Vs. 19. *ἀνὰ τέμενος διαποιπνύουσα.* Bachius.

Vs. 20. *Δημήτρα.* Hermannus.

Vs. 25—26. Lennepius (19).

Vs. 28. *Ἤιδει τόν.* Cobetius (20).

Vs. 33. *Κλαῖεν δ' Ἰκαρίου.* Hermannus.

Vs. 36. *Πνεῦμα τὸ πενταμέτρου.* Lennepius, Ruhnkenius.

Vs. 39. *Ἤλγεε — οὐδέ.* Schneidevinus (21).

Vs. 43. *Σαρδιανήν.* Lennepius, Hermannus.

Vs. 44. *Τμώλιον αἴζαον.* Hermannus.

Vs. 45. *Ἄκρην.* Hermannus.

Vs. 55. *εὔϋμνον.* Paldamus (22). *τὸ δ' ὁμούριον εἴσιδε Λεκτόν.* Hermannus.

Vs. 57. *Κολώνην.* Bachius.

Vs. 59—60. *καὶ τὸν ἔρωτ' ἀνέγειρε Θεωρίδος, οἶσθα, Τεχνοσόφῳ φρενί, τήν.* Hermannus.

Vs. 62. Riglerus et Axtius.

---

(13) Eos vero tantum enumeravi libros, in quibus nomen Hermesianactis non sit inscriptum.

(14) Epist. critica II. Vid. *Ruhnkenii* Opuscula varii argumenti. *Lugduni Batavorum,* 1823. Vol. ii.

(15) Observationes in auctores veteres. *Hanoverae,* 1794. p. 25 sqq.

(16) Opuscula. *Lipsiae* 1827—1831. Vol. ii, p. 239 sqq.

(17) *Coluthi* Raptus Helenae, graece et latine; recensuit *J. D. a Lennep.* Accedunt ejusdem animadversionum libri tres, tum in Coluthum, tum in nonnullos alios auctores. *Leovardiae,* 1747. Lib. iii, cap. 8, p. 161 sqq.

(18) Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias. *Lugduni Batavorum,* 1767. cap. 25, p. 281.

(19) L. c. in Addendis.

(20) Oratio de arte interpretandi. *Lugduni Batavorum,* 1847. p. 50.

(21) Delectus poetarum elegiacorum Graecorum. *Gottingae,* 1838. p. 152.

(22) Propertius. *Halae,* 1827. p. 303.

Vs. 65. *κατεδύσατο.* Schneidevinus.

Vs. 66. *Αἰγειναι.* Ilgenius, Bachius.

Vs. 77. *Βαττίδα.* Scaliger, Hermannus.

Vs. 79. *Οὐ μὴν οὐδ'.* Blomfieldius (23).

Vs. 80. *σκοτίην.* Heinrichius.

Vs. 82. *κῦδος.* Ruhnkenius.

Vs. 83. *ὅι δεινόν.* Ruhnkenius.

Vs. 86. *χαμψά.* Heinrichius, Bachius.

Vs. 88. *ἀπομασσόμενον.* Hemsterhusius (24), Ruhnkenius, Wyttenbachius, Schneidevinus.

Vs. 89—90. *ἔχρη Ἀπόλλων ἀνθρώπων εἶναι.* Porsonus (25), Bachius, Schneidevinus.

Vs. 95—96. Ruhnkenius, Hermannus.

Vs. 98. Porsonus (l. c. p. 246), Bachius.

---

(23) Museum criticum *Cantabrig.* Vol. i, p. 54.

(24) Vid. *Ruhnkenii* Epist. critic. II. p. 297.

(25) Tracts and miscellaneous criticisms of the late *Richard Porson,* collected and arranged by Thomas Kidd. *London,* 1815. p. 41. sq.

HERMESIANACTIS ELEGIA,

QUAE

AMATORUM ENUMERATIO

INSCRIBITUR,

E GRAECO IN CARMEN LATINUM CONVERSA.

PRAEMISSA SUNT

IN HERMESIANACTEM ADVERSARIA.

SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

A. D. III. KALENDAS JUNIAS, HORA LOCOQUE SOLITO,

PUBLICE DEPENDERE CONABITUR

ALBERTUS T. LYSANDER, PH. M.,

LINGUAE ET LITTERARUM LATINARUM DOCENS.

PARS ALTERA.

RESPONDENTIS PARTES AGET

ERN. AX. HENR. KEY,

SMOLANDUS.

LONDINII GOTHORUM.

EX TYPOGRAPHEO BERLINGIANO.

cIɔIɔcccIL.

Ἑρμησιάνακτος τοῦ Κολοφωνίου Κατάλογος Ἐρωτικῶν.

(Athenaei Deipnosophistt. xiii, p. 597—599.)

Carmen, quo, in tanta veterum elegiarum jactura, vix quicquam praestantius habemus.

Ruhnkenius.

(Epist. Crit. II. p. 283).

* * *

Ὀρφεύς.

Οἵην μὲν φίλος υἱὸς ἀνήγαγεν Οἰάγροιο
Ἀγριόπην, Θρῇσσα στειλάμενος κιθάρῃ,
Αἰδόθεν, ἔπλευσεν δὲ κακὸν καὶ ἀπευθέα χῶρον,
Ἔνθα Χάρων κοινὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον
Ψυχὰς οἰχομένων, λίμνης δ᾽ ἐπὶ μακρὸν ἀΰτεῖ
Χεῦμα διὲκ μεγαλῶν ῥυομένης δονακῶν.
Ἀλλ᾽ ἔτλη παρὰ κῦμα μονόζωστος κιθαρίζων
Ὀρφεὺς, παντοίους δ᾽ ἐξανέπεισε θεούς·
Κωκυτόν τ᾽ ἀθέμιστον ἐπ᾽ ὀφρύσι μειδήσαντα
Ἠδὲ καὶ αἰνοτάτου βλέμμ᾽ ὑπέμεινε κυνὸς,
Ἐν πυρὶ μὲν φωνὴν τεθοωμένου, ἐν πυρὶ δ᾽ ὄμμα
Σκληρὸν, τριστοίχοις δεῖμα φέρον κεφαλαῖς.
Ἔνθεν ἀοιδιάων μεγάλους ἀνέπεισεν ἄνακτας
Ἀγριόπην μαλακοῦ πνεῦμα λαβεῖν βιότου.

Μουσαῖος.

Οὐ μὴν οὐδ᾽ υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκεν
Μουσαῖος, Χαρίτων ἤρανος, Ἀντιόπην,
Ἥτε πολυμνήστησιν, Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν,
Εὐασμὸν κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
Ῥάριον ὀργι᾽ ἀνὰ τέμενος διαποιπνύουσα
Δημήτρα, γνωστὴ δ᾽ ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

Ἡσίοδος.

Φημὶ δὲ καὶ Βοιωτὸν, ἀποπρολιπόντα μέλαθρον,
Ἡσίοδον, πάσης ἤρανον ἱστορίης,
Ἀσκραίων ἐσικέσθαι ἐρῶνθ᾽ Ἑλικωνίδα κώμην·
Ἔνθεν ὅγ᾽ Ἠοίην μνώμενος Ἀσκραϊκὴν
Πόλλ᾽ ἄποθεν πάτρης Μεγάλων ἀνεγράψατο βίβλους
Ἠοίων, ἐρατῆς παιδὸς ἐναρχόμενος.

Ὅμηρος.

Αὐτὸς δ᾽ οὗτος ἀοιδὸς, ὃν ἐκ Διὸς αἶσα φυλάσσει,
Ἥδει τὸν πάντων δαίμονα μουσοπόλων.
Λεπτὴν δ᾽ εἰς Ἰθάκην ἀνετείνετο θεῖος Ὅμηρος
Ὠιδῇσιν πινυτῆς εἵνεκα Πηνελόπης,
Ἣν διὰ πολλὰ παθὼν, ὀλίγην ἐσενάσσατο νῆσον,
Πολλὸν ἀπ᾽ εὐρείης λειπόμενος πατρίδος.
Κλαῖεν δ᾽ Ἰκαρίου τε γένος καὶ δῆμον Ἀμύκλου
Καὶ Σπάρτην ἰδίων ἁπτόμενος παθέων.

Μίμνερμος.

Μίμνερμος δὲ, τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς
Ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμα τὸ πενταμέτρου,
Καίετο μὲν Ναννοῦς, πολιῷ δ᾽ ἐπὶ πολλάκι λωτῷ
Κημωθεὶς κώμους στεῖχε συνεξανύειν·
Ἤλγεε δ᾽ Ἑρμόβιον τὸν ἀεὶ βαρὺν, οὐδὲ Φερέκλην
Ἐχθρὸν μισήσας τοῖ᾽ ἀνέπεμψεν ἔπη.

Ἀντίμαχος.

Λύδης δ᾽ Ἀντίμαχος Λυσηΐδος ἐκ μὲν ἔρωτος
Πληγεὶς Πακτωλοῦ ῥεῦμ᾽ ἐπέβη ποταμοῦ·
Σαρδιανὴν δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρὴν θέτο γαῖαν,
Τμώλιον αἶζαον δ᾽ ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
Ἄκρην ἐς Κολοφῶνα, γόων ἐνεπλήσατο βίβλους
Ἱερὰς, ἐκ παντὸς παυσάμενος καμάτου.

Ἀλκαῖος καὶ Ἀνακρέων.

Λέσβιος Ἀλκαῖος δὲ πόσους ἀνεδέξατο κώμους,
Σαπφοῦς φορμίζων ἱμερόεντα πόθον,
Γιγνώσκεις· ὁ δ᾽ ἀοιδὸς ἀηδόνος ἠράσαθ᾽, ὕμνων
Τήϊον ἀλγύνων ἄνδρα πολυφραδίῃ.
Καὶ γὰρ τὴν ὁ μελιχρὸς ἐφωμίλησ᾽ Ἀνακρείων
Στελλομένην πολλαῖς ἄμμιγα Λεσβιάσιν·
Φοίτα δ᾽ ἄλλοτε μὲν λείπων Σάμον, ἄλλοτε δ᾽ αὐτὴν
Οἰνηρὴν δουρὶν κεκλιμένην πατρίδα,
Λέσβον ἐς εὔϋμνον· τὸ δ᾽ ὁμούριον εἴσιδε Λεκτὸν
Πολλάκις Αἰολικοῦ κύματος ἀντιπέρας.

Σοφοκλῆς.

Ἀτθὶς δ᾽ οἷα μέλισσα, πολυπρήωνα Κολώνην
Λείπουσ᾽, ἐν τραγικαῖς ᾖδε χοροστασίαις
Βάκχον, καὶ τὸν ἔρωτ᾽ ἀνέγειρε Θεωρίδος, οἶσθα,
Τεχνοσόφῳ φρενί, τὴν Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ.

Εὐριπίδης.

Φημὶ δὲ κἀκεῖνον τὸν ἀεὶ πεφυλαγμένον ἄνδρα
Καὶ πρώτων μῖσος κτώμενον ἐξ ὀνύχων
Πάσας ἀμφὶ γυναῖκας, ὑπὸ σκολιοῖο τυπέντα
Τόξου, νυκτερινὰς οὐκ ἀποθέσθ᾽ ὀδύνας·
Ἀλλὰ Μακηδονίης πάσας κατεδύσατο λαύρας
Αἰγεινῶ μέθεπεν δ᾽ Ἀρχέλεω ταμίην,
Εἰσόκε τοι δαίμων, Εὐριπίδη, εὗρεν ὄλεθρον
Ἀμφὶ βίον στυγνῶν ἀντιάσαντι κυνῶν.

Φιλόξενος.

Ἄνδρα δὲ, τὸν Κυθέρηθεν ἀνεθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην
Μοῦσαι παιδευθέντα, Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
Ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως,
Γιγνώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
Αὐτοῖς μηλείοις θήκαθ᾽ ὑπὸ προγόνοις.

Φιλητᾶς.

Οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδόν, ὃν Εὐρυπύλου πολιῆται,
Κῷοι, χάλκειον θῆκαν, ὑπὸ πλατάνῳ
Βαττίδα μολπάζοντα θοήν, περὶ πάντα Φιλητᾶν
Ῥήματα καὶ πᾶσαν ῥυόμενον λαλιήν.

Οὐ μὴν οὐδ' ὁπόσοι σκληρὸν βίον ἐστήσαντο
Ἀνθρώπων, σκοτίην μαιόμενοι σοφίην,
Οὓς αὐτὴ περὶ πικρὰ λόγοις ἐσφίγξατο μῆτις
Καὶ δεινή μύθων κῦδος ἔχουσ' ἀρετή,
Οὐδ' ὃι δεινὸν Ἔρωτος ἀπεστρέψαντο κυδοιμὸν
Φαινομένου, δεινὸν δ' ἦλθον ὑφ' ἡνίοχον.

Πυθαγόρας.

Οἵη μὲν Σάμιον μανίη κατέδησε Θεανοῦς
Πυθαγόρην, ἑλίκων καμψὰ γεωμετρίης
Εὑρόμενον, καὶ κύκλον, ὅσον περιβάλλεται αἰθήρ,
Βαιῇ ἐνὶ σφαίρῃ πάντ' ἀπομασσόμενον.

Σωκράτης.

Οἵῳ δ' ἐχλίηνεν ὃν ἔξοχον ἔχρη Ἀπόλλων
Ἀνθρώπων εἶναι Σωκράτη ἐν σοφίῃ
Κύπρις μηνίουσα πυρὸς μένει, ἐκ δὲ βαθείης
Ψυχῆς κουφοτέρας ἐξεπόνησ' ἀνίας,
Οἰκί' ἐς Ἀσπασίης πωλεύμενος, οὐδέ τι τέκμαρ
Εὗρε, λόγῳ πολλὰς εὑρόμενος διόδους.

Ἀρίστιππος.

Ἄνδρα δὲ Κυρηναῖον ἔσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ
Δεινός, ὅ τ' ἀπιθάνης Λαΐδος ἠράσατο
Ὀξὺς Ἀρίστιππος, πάσας δ' ἠνήνατο λέσχας
Φεύγων, οὐδ' ἀπέχων ἐξ Ἐφύρης ἐβίω.

* * *

Hermesianactis Colophonii
Elegia,
quae
ARMATORUM ENUMERATIO
inscribitur,
e Graeco in carmen Latinum conversa.

(Prima periernt.)

Orpheus.

Sic potuit manes arcessere conjugis Orpheus,
Armatus cantu Threiciaque lyra.
Diraque tranavit monstrorum habitacula puppi:
Accipit hic animas publica cymba senis.
Hic quoque per densas magno cum murmure valles
Intextae calamis labitur amnis aquae.
Ast Orpheus pulsare fides Acherontis ad undam
Audet et omnigenum corda movere deum.
Nec mora, Cocytum citharae modulamine tentat,
Invito et vultu risit amara palus.
Oravitque canem, tria cui latrantia colla,
Ignea vox, ignes luminibusque micant.
Hic cithara cantans dominis persuasit Averni,
Ut comes in lucem conjugis umbra foret.

Musaeus.

Nec Luna genitus, Charitum Musaeus amicus
Desiit Antiopam nobilitare suam.
Tunc ad Eleusinem fatorum arcana canebat
Antiope, jactans per nemus omne preces.
Sacra ferebat enim Cereri Triviaeque deabus:
Nota quoque est Stygiis illa puella locis.

Hesiodus.

Hesiodus vates Eoeam arsisse puellam
    Dicitur: ante alios hic quoque doctus erat.
Usque Helicona venit, deserta sede parentum:
    Nec pudet Ascraeae virginis esse procum.
Jam procul a patria libros confecit amorum,
    Inscripsitque omnes, cara puella, tibi.

Homerus.

Quin Paphium, cuncti quem cognovere poetae,
    Maeonius vates novit et ipse deum.
Namque Ithacam tenuem divus contendit Homerus
    Propter Penelopam, cujus amator erat.
Hic longe a sociis magna patriaque remotus
    Ob te, Penelope callida, multa tulit.
Icaridem cecinit, populum et deflevit Amyclae;
    Nec cecinit luctus immemor ipse sui.

Mimnermus.

Impariter junctos versus ac mollia questu
    Carmina Mimnermo subjiciebat amor.
Arsit enim Nanno et, pulchra comitante puella,
    Ad calami cantus duxit, ut ante, choros.
Atque animum rexit justaque reduxit ab ira,
    Carminibus tantum deliciisque datus.

Antimachus.

Antimachus, magno Lydae percussus amore,
    Auriferum ad fluvium (nec mora) carpsit iter.
Ille, ubi Maeoniae mandata est uxor arenae,
    In Colophona suam rursus abire parat.
At vivet semper fidibus commissa querela
    Et desiderii mite levamen erit.

Alcaeus et Anacreon.

Sic canit Alcaeus, patria qui natus eadem,
Sapphonem: blanda personat ille lyra.
Aemula lusciniae cantrix capit arte poetam:
Est quoque sic Teji mens agitata viri.
Namque etiam vatem, quo non festivior ullus,
Lesbiadem pulchram dum videt, ussit amor.
Huc atque huc errans Samios reliquit agellos:
Ceperat hos dura gens inimica manu.
Hinc velis subiit Lesbon vicinaque Lecti
Oppositi contra caerula terga maris.

Sophocles.

At celsa quondam Attica apes elapsa Colono
Lenaeum in tragicos est modulata sonos.
Canescens etiam dulci capit ille Theorim
Cantu, quem Sophocli Juppiter ipse dedit.

Euripides.

Oderat Euripides, cautissimus ille poeta,
A puero taedas femineumque genus.
Est tamen hic flammis arcuque Cupidinis ictus,
Et fugit insomnem noctis amica quies.
Namque Macedonias urbes plateasque pererrat,
Quocunque Aegino, regia serva, rapit.
Sed deus Euripidi crudelia fata paravit:
Indagant vatem dilacerantque canes.

Philoxenus.

Fidum etiam dico Bacchi Phoebique ministrum,
Quem puerum Musae sic aluere sacrae.
Interdum, populi plausu comitante sonoro,
Tendebat vates ad Colophona viam.
Te dolet amissa, pulchra o Galatea, poeta:
Te teneros agnos ingemuisse ferunt.



Philetas.

Eurypyli cives posuere ex aere Philetam,
Qui Coam celerem, Battida, dulce canit.
Alta sub platano, spissam quae complicat umbram,
Trivit colloquiis ille poeta diem.

At multos homines austeram ducere vitam
Obscurisque scholis invigilare juvat.
Non his aut Veneres aut vincla jugalia curae;
Omne sed in studiis hi posuere decus.
Hos tamen icit Amor numquam fallente sagitta,
Et properant duro subdere colla jugo.

Pythagoras.

Sic retinent vinctum formosae vincla Theanus
Mensorem terrae caeruleique maris.
Uritur, igniferum dicto qui regnat Olympum
Illigat et parvo sidera celsa globo.

Socrates.

Est unus quondam sapiens ab Apolline dictus:
Insano Aspasiae torquet amore Venus.
Hanc petit, emergens aliquando ex mente profunda,
Et levibus curis magna sophia perit.
Tum sapiens finem nequicquam quaerit amandi,
Qui multas menti repperit ante vias.

Aristippus.

En Ephyram venit, quem praedicat alta Cyrene,
Te propter, multis Lais amata viris.
Doctus Aristippus doctrinam fugit et artem:
Nec puditum est illum laude carere sua.

(Cetera desiderantur.)


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 295 5